

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



DISPUTATIO UNDECIMA
In Augustanam Confessionem
continens

ANTÍΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De

COMMUNICA-
TIONE OMNIPRÆSENTIÆ.

Proposita

In Electorali Academiâ wittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,
Templi Arcis Præposito, ac p. t.
Academiæ Rectore,

R E S P O N D E N T E

M. PETRO RIGGENSEX

Caloviâ-Lusato.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris
ad diem 14. Decembr.*

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M D O XXVIII.



DIGESTATIO IN DECIMA
Augustinum Confessionem

concedens

in gratiam amicorum

AUGUSTINUS

CONFESSIO

in gratiam amicorum

et fratrum

ACCEPTO

PROXIMO ANNO

tempore

Accepimus

M. JULY 1529.

Concordia

Amicorum

et fratrum

Accepimus

tempore

Accepimus

tempore

Accepimus

tempore

Accepimus



Continuatio.

Becanus cap. 7. de Christo quæst. 4. quinque nostrorum Theologorum argumenta assument refutanda. Quomodo autem illud præstiterit in prioribus tribus, vidimus præcedente Disputatione: sequuntur nunc quatuor posteriora, quæ hac ipsâ disputatione contra sophismatum Jesuitarum defendemus.

THESSIS I.

Pergit Becanus §. 11. ad quartam objectionem, quæ sumitur ex illo Ephes. 4. v. 10. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut impletet omnia.* Hinc (addit Jesuita) colligunt Lutherani, Christum post ascensionem cepisse esse ubique secundum Humanitatem, quiacepit omnia loca implere. Ideò enim ascendit, ut omnia impletet. Respondet: Sensus Apostoli est aliis: nempe Christum prius descendisse ad inferos, ac deinde ascendisse super omnes cœlos: ut omnia loca, infima, media, suprema, successivè impletet per suam presentiam, virtutem, gloriam, victoriam, triumphum: Et sic caporet possessionem sui imperii in omnes creaturas, & tanquam, Rex solenni pompa inaugurate. Sic explicat Theophylactus, Oecumenius, Cornelius in Commentario, & S. Bernhardus serm. 2. de ascensione Domini. Ubi ait: *Ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* Iamen enim, cum se Dominum universorum, quæ sunt inter-

ra & in mari & in inferno probasset, non restabat, nisi ut aeris & cælorum se esse Dominum approbaret. &c. § 12. Hinc sequitur Lutheranos & sibi ipsis & Apostolo contradicere: sibi quidem, quia docent humanitatē Christi propter unionem hypostaticam esse ubiqz, ac proinde ab instanti conceptionis, quo facta est unio hypostatica, cepisse esse ubiqz. Non ergo post ascensionem cepit esse ubiqz. Apostolo autem, quia Apostolus dicit, Christum secundum humanitatem ascendisse ad inferos: Ergo prius non erat apud inferos. Item ascendisse ad cœlos; Ergo prius non erat in cœlis. Ergo vi unionis hypostaticæ non erat ubiqz.

I I. In responsione hac ad quatuor potissimum est attendendum 1. Ad successivam locorum impletionem fictam. Quam verò dudum Doct. Æg. Hunnius super cap. 4. Epist. ad Eph. part. 2. refutavit his ipsis verbis: Sed quis crederet Spiritum Sanctum de ascensu Christi ex allegati Psalmi occasione differentem, circa hæc minutiora fuisse occupatum, ut ostenderet, quomodo successivo motu perambulasset Dominus loca infera, media & supera? neglecta interim ac prætermissa exaltatione Christi ad dextram DEI, quam Scriptura alias cum ascensionis articulo subinde connectit. Præterea, hujus perambulationis respectu, nondum dici posset, omnia implere loca, sed ea tantum, quæ locali motu peragrasset, reliqua infinita, quæ suo corpore hoc modo non perambulasset, ab hac impletione es- sent excipienda. Quin hæc ipsa, in quibus fuisset vel in ascen- su suo vel in descensu, rursum evacuasset, deserendo illa, & ad alia subinde progrediendo. Ita neque successivè loca peragrasset omnia; sed (respectu multitudinis locorum in toto universo) paucissima duntaxat: neque ea ipsa, in quibus aliquando affuisset, eodem tempore impleret omnia; sed simul & semel unum duntaxat, desertis, ut dictum est, & evacuat cæteris. Adhæc, quoniam propositum est Paulo explicare, quo pacto Christus in cœlos ascendens & DEI dextra exaltatus, juxta Petri expositionem effuderit in Ecclesiam suam dona Spiritus Sancti, quid obsecro ad scopum hunc Pauli hæc in-
sulsa.

fulsa & inepta interpretatio de locorum successivâ impletione
locali facit quicquam? Nihil prorsus; sed est plane, ut à sco-
po, sic à mente Apostoli, aliena, & proinde inter adversariorum
~~āwēgσδίόνυσον~~ rejicienda. Denique si maximè admitteretur
glossa: nihilominus hoc etiamnum inexpeditum & inextricatum
relinqueretur, quod ejusmodi ascensu nondum **SUPRA**
omnes omnino cœlos, quicunque vel in hoc vel futuro seculo
nominantur, ascendisse crederetur Dominus: sed relinquere-
tur in eo cœlo, de quo pars adversa litigat; idque non judi-
caretur Christus suo ascensu & exaltatione transcendisse. Qua-
re ne sic quidem satisficeret Pauli verbis, qui Christum O-
MNES cœlos, sive corporeos sive spirituales dicas aut statuas,
transcendere palam asseverat, & quidem, quemadmodum
Eph. i. exponit, sive illi referantur ad hoc præsens sive ad fu-
turum sæculum: **Omnis, omnes, inquam, nullo uspiam**
exempto.

III. Secundò attendendum est ad *concessionem Beccanii*
venim, quâ concedit, per illam ascensionem Christum secun-
dum Humanitatem accepisse possessionem sui imperii in o-
mnes creaturas, & tanquam Regem solenni pompa inaugura-
tum esse. Eo namque Jesuita nostram sententiam de com-
municatione omnipotentiæ simul & omnipræsentiaæ confir-
mat: suam verò à fundamento labefactat & subruit, ut ibi-
dem loquitur Hunnius. Nam, imperium hoc in omnes crea-
turas, conjunctum est cum operatione omnium in omnibus,
quæ citra omnem dubitationem est actio solius increatae po-
tentia: quæ (potentia increata) si Christo, quâ est Homo, com-
municata realiter non est: quomodo, quâ homo, omnipoten-
ter agere; hoc est, omnia in omnibus operari poterit? Et si con-
cedat, λόγον jam juxta carnem quoque suam operari universa:
quidni hoc ipso præsentiam quoq; illius apud cunctas creatu-
ras stabiliat? Quām enim esset phantastica imaginatio, si λόγος
præsens præsentes administraret creaturas per Humanitatem,
omni modo reali absentem ac remotam? Qua ratione princi-
pium, à quo oritur hæc gubernatio, nempe λόγος; & terminus,

In quem tendit, nempe creaturæ, essent sibi invicem præsentia : atque interim id, quod tertium intervenit, & per quod illa gubernatio efficitur, nempe humana λόγος natura, omni modo κατ' ἀνάγνωσιν abesse?

I V. Absurdam hanc Phantasiam ut effugiamus, statuimus, præsentem λόγον creaturas præsentes per humanitatem itidem in dextra Majestatis præsentem regere & gubernare. Et vox illa (dicit porro Hunnius in cap. 4. ad Eph.) implendi νέων quidem præsentiam impletis seu operantis designat: δούτηρος autem seu secundario præsentis operationem declarat. Ideo enim & Locorum sit mentio, cum inferorum tum superiorum, in descriptione impletionis hujus; ut præsentia in omnibus locis designetur: non illa successiva & localis, sed personalis, & juxta modum dextræ D E I descripta, præsentia: sicut ex testimonio Jeremiæ 23. est evidens, quid implere omnia significet, dicente ibi Domino: Numquid non cœlum & terram ego imleo? Id ipsum his immediate præcedentibus dilucidius reddit, cum ait: Nonn: DEUS IN PROPINQUO ego sum, & non Deus à longe? Ubi Domino idem est, implere omnia, & in propinquuo adesse omnibus. Eodem modo accipitur Sap. i. Spiritus Domini replet orbem terrarum: Ubi similiter replendi vox non nudam operationem sine operantis præsentia notat; sed præsentiam primò, dehinc præsentis operationem.

V. Tertiò attendendum est ad quorundam Patrum à Jesuita allegatorum autoritatem. Nam Theophylacti & Oecumenii interpretationes tantum abest, ut hanc nostram sententiam & textus interpretationem impugnent, ut firmiter eam confirmant. Ille enim sic reddidit sensum Apostoli: Ut omnia impletat dominatione, operationeque, idque in CARNE. Quandoquidem DIVINITATE JAM ANTE A CUNCTA IMPLERET. Hic verò ita scribit. Etenim nuda Divinitate olim, omnia implebat, & incarnatus descendit & ascendit, ut omnia μετὰ σαρκὸς cum CARNE IMPLERET. Verba etiam Bernhardi eodem planè modo sententiam nostram confirmant: quippe quæ per omnia cum Theophylacti & Oecumenii dictis consentiunt.

VI. Quar-



VI. Quartō attendendam est, ad contradictionem nobis affectam. Quandoquidem nos omnipræsentia causam solitariam non facimus unionem hypostaticam; sed hanc, quæ primum fundatum est, & sessionem ad Dextram DEI, quæ addit complementum? Uti etiam nulla est consequentia, Christus secundum humanitatem descendit ad inferos; ergo prius non erat apud inferos: Item, ascendit ad cœlos: Ergo prius non erat in cœlis. Quandoquidem distingueadum est inter illocalem præsentiam, quam habet humanitas ex unione personali: & inter localem, quam habet ex conditione propria naturæ. Secundūm hanc ascendere potest & descendere, manente immotâ illâ: Uti etiam in divinis absurdum non est, de eo, qui ubique est, affirmare, quod alio modo ascendat & descendat. Gen. ii. v. 5. 7. Humana itaq; natura, licet non sit Deus tamen modo divino ubiq; esse à nobis asseritur. Ergo si de Deo simplicissimo dici potest, quod descendat & ascendat: Ergo multò magis de humanâ naturâ, quæ, in λόγῳ subsistens, duplēcēm habet conditionem, ut patet: quod de DEO dici nequit.

VII. Porro Becanus §. 13. Quintam objectionem sumit ex illo, quod Christus sedere dicatur ad dextram DEI Rom. 8. vers. 34. *Christus Jesus, qui est ad dextram DEI*. Et Coloss. 3. v. 1. *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est, in dextra DEI sedens.* Et Heb. i. v. 13. *Sede à dextris meis.* Hinc etiam colligunt, inquit, Christum secundum Humanitatem esse ubique; Quia sedet ad dextram DEI Patris, quæ est ubique. Respondeo (addit) duplex est explicatio illius sessionis. Una, quod per dextram DEI intelligatur beatitudo eterna. Ita Hieronymus in cap. 1. ad Eph. & Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 7. & lib. de Agone Christiano cap. 26. qui non solum Christum, sed etiam alios beatos vult sedere ad dextram DEI, juxta illud Eph. 2. 6. *Confidere nos fecit in cœlestibus in Christo.* Et Matth. 25. 33. statuet oves à dextris suis: hædos autem à sinistris. Hac explicatio nihil farat ubiquetariis. Altera est probabilior, quod per

per dextram DEI intelligatur aequalitas potentiae, gloriae, & Majestatis Dei, ut sensus sit, Christum sedere ad dextram DEI, id est, aequalem esse Deo in potentia, gloria & Majestate, vel pari potentia, gloria, & Majestate regnare, & gubernare cum Deo patre. Ita Athanasius, Basilius uterque Cyrillus, Damascenus, Chrysostomus, Ambrosius, & alii apud Bellarminum lib. 3. de Christo cap. 15. Hec expositio videtur favere Lutheranis; sed revera non faret. Tametsi enim hæc aequalitas data sit Christo homini; non tamen data est illi in humanitate, sed in persona verbi. Non enim factum est, ut humanitas in se ipsa sit aequalis Deo in potentia, gloria, & Majestate; sed ut sit humanitas personæ Verbi, quæ habet aequalem potentiam, gloriam & Majestatem cum persona Patris. Vide supra quest. 3. §. 2.

IX. Respondemus ad primam explicationem, illam pro nobis nihil facere, cum planè falsa & erronea sit, & ab ipso Bellarmino, loco à Becano allegatō, rejiciatur: & ipse Beccanus cum Bellarmino fateatur, posteriore esse probabiliorem. Si verò autoritate Patrum res expedienda est, nos pro nobis, & posteriore sententia, cum Bellarmino multò plures allegare possumus: nempe Athanasium, serm. 2. contra Arianos, Basiliū libro de Spiritu Sancto. cap. 6. Cyrillum Hierosolymitanum. Catechesi 14. Cyrillum Alexandrinum lib. 12. thesauri cap. 7. Damasc. lib. 4. de Fide orth. cap. 2. Leonem serm. 1. & 2. de ascensione, Chrysostomum quoq; Theodoreum, Theophylactum, Oecumenium in cap. 1. ad Hebr. & cap. 1. ad Ephes. Ambrosium lib. 2. de Fide cap. 4. & in cap. 1. ad Ephes. &c.

IX. Quod Augustini attinet autoritatem, qui non solum Christum, sed alios quoque beatos vult sedere ad dextram DEI; respondemus, errorem illum non levem esse, quippe pugnantem cum manifesta scriptura, quæ expressè tradit Heb. 1. quod collocatum esse & sedere ad dextram DEI, adeo competit Christo soli, ut ne angelorum quidem ulli dictum sit unquam: sede à dextris meis. Loco ex Epist. ad Ephes. 2. vers. 6. allegato, nihil probatur: quandoquidem in illo nulla omnino mentio injicitur dextræ DEI: sed pergit Apostolus amplificare

care beneficium Dei, nobis præstitum : quo non solum à for-
midabili morte peccati & damnationis nos redivivos voluit ;
sed, quod majus est, fecit nos unā cum Christo sedere inter cœ-
lestes & in eandem vitam æternam collocavit in cœlestibus. Sic
Matth. 25. vers. 33. nihil quoque agitur de sessione ad dextram
Dei, sed de immensa dissepARATIONe piorum ab impiis : quæ
præcedet sententiam ultimam finalem & nullis unquam secu-
lorum seculis retractandam, quâ illis, qui à dextris constituti
sunt, regnum æternum decernitur ac possidendum traditur :
quod certè fieri non posset, si hic de sessione ad dextram Dei
ageretur : quippe quæ summæ beatitudinis realis & propria
possessio est.

X. Quocirca posterior sententia nontantum est proba-
bilis, sed certa, firma, immota & apodictica : quæque non
tantum nobis Lutheranis favere videtur ; sed omnino faver, &
nos in fide nostrâ *αὐταπότες* constituit, quod nimurum Chri-
sto secundum humanam naturam per sessionem hanc ad dextrâ
Dei, data sit infinita potentia : ut maiestate Divinâ regnet & gu-
bernet omnia. Ubi interim libenter concedimus, quod datio il-
la non sit facta extra personam, sed in persona Verbi : neque in
humanitate, ita, ut ex divinâ naturâ in humanam naturam sic
transfusa, quæ non communicatio esset, sed humanæ naturæ
abolitio, & in divinam transmutatio : neque ita ut humanitas
in se ipsa sit æqualis Deo in potentia, gloria, Majestate : quod
cursus esset humanitatem in divinitatem transformare : neque
tamen propterea datio illa, cum Beccano & Jesuitis, facta dicen-
da est solum ut sit humanitas personæ Verbi, quæ habet æquale
potentiam, gloriam & majestatem cum persona Patris : Nam
hoc modo datio illa facta esset personæ, vel secundum divinam
naturam : Quod falsum, cum illi in tempore nihil dari possit.
Vel περιών personæ sive subsistentiæ, & διάπερις humanitati
propter personam. Quod itidem falsum : cum περιών datio
hæc tangat humanitatem, & propter hanc, personam, cuius est
humanitas. Nam si περιών datio hæc ad personam referatur,
tum non potest fieri, quin simul περιών ad divinam naturam

referatur, cum qua persona sive subsistentia simpliciter idem est, immo referatur etiam περιτος ad generationem sive nativitatem aeternam quae a personâ λόγῳ tantum ratione distinguitur: sicque rursus ab aeterno facta esset haec sessio, & divinae Majestatis communicatio: quod rursus falsum; cum haec sessio in tempore ceperit: Ergo ut λόγος humanitate suâ elevatus est ad dextram Dei; sic quoque illa ipsa humana natura in se accepit, per communicationem illam, summam ac divinam Majestatem: ut λόγος jam per illam suam humanitatem regat & gubernet omnia, quae sunt in cœlo & in terra.

XI. Infertur ne inde humanæ naturæ cum divinitate ex æquatio? Nequaquam. 1. Quia humana natura per illam communicationem neque persona λόγῳ facta est, neque natura divina. Jam vero persona tantum divina personæ divinæ propter Identitatem naturæ æqualis, & natura divina cum omnibus suis idiomata communis esse dicitur omnibus tribus Deitatis personis, propterea, quod omnibus personis sit una haec individua natura, proindeque tres ille unus Deus. 2. Quia humana natura illam Majestatem non habet a se, & subiectivè in se; sed a divina unita natura tantum per communicationem. Quia enim humana natura in unionem personæ recepta est, ipsiusque subsistentiæ divinæ communicata, ideoque cum divina τῷ λόγῳ natura unita, necessario quoque quædam secuta est naturæ divinæ & Idiomatum communicatio; quippe sine qua unio personalis non est unio personalis sed tantum accidentalis, nempe talis, qualis fuit assumptio speciei humanæ, quā Filius Dei in veteri Testamento apparuit Abrahamo, ipsum hospitio invitanti & excipienti Genes. 18. vers. 1. 2. Quæ a Becano disputatione supra quæst. 3. §. 2. illa examinata & refutata suat disputatione nostra octava.

XII. Pergit Becanus §. 15. Dices. Hoc factum est in instanti Incarnationis, quando humanitas Christi unita fuit personæ verbi: Apostolus autem loquitur de sessione ad dexteram Dei Patris, quæ contigit post ascensionem. Respondeo in illa sessione duo spectari debent. 1. æqualitas Christi cum Deo Patre. Haec illi data est instanti

instanti Incarnationis. 2. Manifestatio illius æqualitatis. Hæc facta est per ascensionem, quando Christus, tanquam victor, & triumphator, cum solenni Pompa ascendit in cælum. Tunc enim cepit, quoad externam celebritatem, sedere à dextris Dei Patris, id est, tunc cepit agnoscere & honorari tanquam Deus, ut patet ex illo Philipp. 2. vers. 9.

Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris. Nota, ut omnis lingua confiteatur, Christum esse in gloria Patris, quod antea confessa non erat, quia antea non innotuerat omnibus.

XIII. Ergo Becanus in sessione hac initio distinguit inter æqualitatem Christi cum Deo Patre, & ejus manifestationem: & deinde illam, addit, datam esse Christo in instanti incarnationis. Verum, negamus nos in instanti incarnationis datam esse Christo æqualitatem cum Deo Patre. Vel enim data est illi secundum personam sive subsistentiam: vel secundum divinam naturam: vel secundum humanam naturam: Non secundum subsistentiam: quandoquidem, juxta illam ab æterno Christus sive λόγος æqualis fuit Patri, ut non opus fuerit demum in tempore, & quidem in puncto incarnationis illum fieri Patri æqualem. Non secundum divinam naturam: quippe secundum quam non tantum ab æterno fuit æqualis, sed plane idem, cum Patre nempe idem & unus Deus. Non secundum humanam naturam: Nam licet ipsa assumpta sit in personam & subsistentiam λόγου, & quoad actum primū Majestas divina illi communicata fuerit statim in puncto incarnationis: mansit tamen humanitas, & sic inæqualis Patri: Ergo æqualitas cum Deo patre in tempore, & quidem in puncto incarnationis, humaniti non est communicata. Nam æqualitas hæc est ex identitate essentiæ: sic persona τοῦ λόγου vel ὁ λόγος dicitur æqualis

Deo Patri; quia habet cum Patre unam eandemq; indivisam
essentiam, adeo, ut secundum hanc λόγον & Pater sint unus
essentiā & numero Deus. Si ergo humanae naturae communi-
cata est hæc æqualitas, tum κατα μέθεξιν erit communicata
divina natura eidem humanitati, ut communicata est subisten-
tiæ τῇ λόγῳ, sic verò humanitas non amplius erit humanitas,
sed ipsa divinitas, quod absurdum.

XIV. Ad æqualitatem ergo illam obtinendam non sus-
ficit communicatio κατα συνδύασιν sed requiritur com-
municatio essentiæ κατα μέθεξιν: quippe in qua hæc æqualitas
unicè fundatur. Cùm vero illa impliceat contradictionem,
faciatq; ut natura, quæ est humanitas, non sit humanitas, pla-
nè impossibilis est.

XV. Tandem quatenus illa æqualitas est idem cum es-
sensia divina, dicere possumus, quod, quia essensia divina est
κατα συνδύασιν communicata humanitati; sic quoq; illi com-
municata sit illa æqualitas, sed ita, ut illam non denominet:
cum, ut divina essensia, quatenus talis, non operetur per hu-
manam naturam, proindeq; illam non denominet: sic neque
relatio hæc & æqualitas nihil per humanitatem operetur, pro-
indeq; nec ipsam denominet.

XVI. Quod porrò attinet hujus Majestatis divinæ &
æqualitatis manifestationem: concedimus quidem, quod per-
sonæ Christi æqualitas cum Deo Patre per resurrectionem,
ascensionemq; & sessionem ad dextram Dei omnium evidentissi-
mè sit manifestata & declarata. Si enim non fuisset æqualis
Deo Patri, & sic cum illo unus verus Deus, resurgere à mor-
tuis, ascendere in cœlum, & sedere ad dextram Dei non potui-
set. Verum ratione humanitatis non nuda fuit communica-
tæ divinæ Majestatis manifestatio; sed insuper humanitatis in-
solitum Majestatis divinæ, & ad cœlestis regni possessionem e-
vectio, divinæq; potestatis ac Majestatis per unionem hyposta-
ticam acquisitæ, plenariæ usurpationis adeptio.

XVII. Quod attinet dictum ad Philip. 2 vers. 9. loqui-
tur quidem illud de Christo, sed principaliter secundum huma-
nitatem

nitatem considerato, uti illud eruditissimis & plane apodicticis argumentis demonstrat Doct. Aegyd. Hunnius super hunc locum.

XIX. Progreditur Beccanus §. 16. ad sextam objectiōnem, defumptam ex illo Matth. 18. v. 10. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Et cap. 28 v. 20. Ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.* Respondet Jesuita : *Hinc solum colligitur, Christum adesse omnibus bonis & fidelibus per suam gratiam & directionem ; non tamen per præsentiam corporalem.* Nam si Christus loqueretur de præsentia corporali, non tantum adesset bonis, sed etiam improbis, secundum expositionem Lutheranorum ; quod tamen est alienum à mente Christi. Hic iterum patet, Lutheranos & sibi ipsis, & Christo contradicere. Sibi, qui paulò ante afferebant, Christum post ascensionem cepisse esse ubique. At hic contendunt, eum antea fuisse ubique. Christo autem, quia Christus solum afferit, se præsentem esse & fore bonis : At Lutherani volunt convincere, præsentem esse omnibus, tam bonis, quam malis : Nec tantum hominibus, sed etiam aliis creaturis, quod nullo modo convinci potest, nec ex verbis Christi, neque ex ipsis mente ac intentione.

XIX. Ubi primùm respondemus, non necesse esse, ut ex hoc dicto colligatur, Christum adesse omnibus bonis ac fidelibus, per suam gratiam & directionem ; illud enim expressis verbis ibi dicitur. Quod autem addit Beccanus : *Christum non adesse per præsentiam corporalem* : id non ex antecedente infertur : sed potius contrarium inde colligitur, nempe Christum per corporalem suam præsentiam adesse. Nam gratia illa, divina est, ut & directio : Quia igitur gratia illius applicatio directioq; divina promittitur non immediata, sed per humanam naturam : utique illa extra eam exerceri nequit : uti id supra probavimus. Ratio, quæ additur, nulla est. Nam licet Christus hoc loco non loquatur de omnipræsentia, quæ cum providentiâ universalijuncta est ; sed de præsentia particuliari & gratosâ : Nihilominus gratosâ hæc & particularis illam universalem præsentiam præsupponit, nisi subinde ascensum.

& descensum Christi absurdē probare & statuere velim⁹.
Quare si universaliter præsens est Christus cum suo corpore o-
mnibus creaturis ; utique & particulariter cum suo corpore
adest Ecclesiæ & piorum cœtui. Est enim præsentia hæc di-
vina. Ut ergo in divinis universalis præsentia est fundamentum
particularis ; cum nihil ab universalis differat, quām gratiosā
actione ; sic quoque universalis præsentia humanitatis Christi
est fundamentum particularis præsentia gratiosæ : cum hæc
duntaxat per gratiosam actionem modifetur & specialis red-
datur. Quare ex multipræsentia illa gratiosā , infallibili con-
sequentia , colligimus præsentiam universalem apud omnes
creaturas. Corporali itaque præsentia universali malis simul
ac bonis adest Christi humanitas : Corporali verò præsentia
gratiosa tantum adest piis ac bonis. Falsum ergo est, nos cor-
poralem præsentiam & universalem præsentiam facere reci-
procas, & æquales ; cum illa universalis & particularis esse
queat.

XX. Cæterū nobis non contradicimus : quandoqui-
dem dicta illa interpretamur ac intelligimus propriè de statu
exaltationis. Neque Christo contradicimus. Nam licet
Christus agat de præsentia particulari : verissimā tamen conse-
quentia inde colligi ac demonstrari potest præsentia universa-
lis, ut probatum. Simplex enim hujus negatio, nulla est pro-
batio, sed ludicra nugatio.

XXI. Tandem §. 17. proponit septimam objectionem
ex quibusdam Patribus sumptam : qui videntur favere ubi-
quitati, præsertim Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Ambrosius,
Hieronymus & Gelasius. Sed (addit Beccanus) reverā non farent,
ut ostendit Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 18. Quare operæ pre-
cium erit, ordine singula Patrum loca, ut à Bellarmino allega-
ta sunt, & contra nostros Thelogos explicata, vel potius de-
pravata, videre & examinare.

XXII. Nonum argumentum, inquit Bellarminus, ex
Patribus. Ac primò proferunt Chrysostomum hom. 17. in Epist. ad
Hebr. sic dicentes de Christo : *Quid dices, nisi ino-*
trave-

traverit in cœlum, non apparebit Deo, qui ubiq^{ue}
est, & omnia implet? Respondeo (addit Jesuita) in ver-
bis sequentibus esse solutionem. Intueris, inquit, quia car-
nis hæc sunt omnia? Quibus verbis Chrysostomus docet,
Christum, qui ut Deus, ubiq^{ue} est, tamen secundum carnem debuisse
intrare in cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis, quia secundum
carnem non erat in cœlo, antequam ascenderet.

XXIII. Respondemus, nos non negare, quod de a-
scensione secundum carnem loquatur Chrysostomus: Verum
Christum secundum humanam naturam ante illam ascensio-
nem nullo modo fuisse in cœlo, vel divinam Christi naturam
ante abitum illum fuisse vel in cœlo, vel etiam ubique sine hu-
manitate sive extra humanam naturam, hoc non Chrysosto-
mus dicit, sed additamentum Bellarmini est, quod forsan
nunquam Chrysostomo in mentem venire potuit; cum ipse
addat rationem, cur visibiliter & localiter in cœlum ascende-
rit Christus: non hanc, ut esset in cœlo cœlique loco certo in-
clusus: Nequaquam: Non enim ignorabat orthodoxus hic
Pater, quod quidem penetraverit Christus juxta carnem suam
in cœlum, sed ita, ut sublimior cœlis sit factus, & intra velum
in sanctissimam quasi partem tabernaculi seu regni cœlestis,
nempe in thronum ipsum Majestatis divinæ sit intromissus.
Quare hanc subiectit rationem, ex Apostolo petitam, nempe
ut appareret vultui Dei pro nobis: quæ pars est Majestatis Christi:
quæ non est locus certus, sed est potestas, omnia implens. Sen-
sus itaque est: Christus, licet sit ubique Deitate sua, tamen
sua carne ascendit in cœlum, & quidem in illud cœlum, in quo
coram conspectu Majestatis ipsius Dei compareat. Per hoc
vero cœlum, ut non Epistola ad Hebræos, sic neque Chrysosto-
mus intellexit aliquod locale cœlum extra totum mundum,
ut Jesuitæ cum Calvinianis otiosè somniant; sed in illud spi-
rituale, ubi est facies Dei, quæ profecto non minus est in regio-
ne elementari, quam in ætherea: sicut & Deus ipse, qui cum
sua facie & dextra ubique est. Omnino ergo dicit Chrysosto-
mus



mus hæc secundum carvem intelligenda esse. Sed quæ? Sane non tantum quod ascenderit: sed etiam quod ascenderit in cœlum, & quidem illocale, nempe in quo faciem Dei intueatur: Quod sane cœlum creatum nequaquam est, sed cœlum Dei majestaticum, omnipræsens & nulli loco inclusum.

XXIV. Pergit Bellarminus: Secundo proferunt Cyrilum Epist. 5. ad Successum: Dei, ut dixi, inquit, proprium corpus existens omnia humana transcendit. Item lib. 12. in Johann. cap. 32. explicans de vestibus Christi, in quatuor partes divisus, & tunica indivisa manente dicit, hoc significare, Christicarnem impartibiliter communicari hominibus omnibus, qui sunt in quatuor mundi partibus: In singulos, inquit, partibiliter transiens unigenitus, & animas & corpora eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integrè in omnibus est, cum unus ubique sit nullo modo divisus. Quodidem ferè iisdem verbis habet Theophylactus in cap. 19. Job.

XXV. Respondet Bellarminus, in primo testimonio tandem afferit Cyrus, corpus Dominicum transcendere dignitate omnia humana: sed non inde sequitur esse ubiq.

XXVI. Replicamus, id omnino inde sequi. Nam ille transitus dignitatis super omnia humana, est ipsa sessio ad dextram Dei, quæ ubiq; est. Quod ipsemet Bellarminus confirmat, quando dicit in sequentibus Cyriulum ipsum explicare, quid sit omnia humana transcendere, nempe factum esse, incorruptibile & vivificum & gloria ineffabili illustratum. Quærimus autem, in quo illa illustratio ineffabilis glorie consistat? Perfecto in collatione omnis potestatis in cœlo & in terra Matth. 28. vers. 18. & impletione omnium Eph. 4. Hæc autem est illa ubiquitas, quam nos urgemos, non humanitatis immensitas, ut nobis assingit Bellarminus.

XXVII. Ad

XXVII. Ad alterum locum *Cyrilli & Theophylacti* respondeat Bellarminus, *disputare Patres allegatis locis de Eucharistia*.
Sed sit ita. Verum patres illi per universalem præsentiam, et iam hanc particularem demonstrare volunt hoc modo: Quicunq; secundum carnem suam impartibiliter atque integrè in omnibus, & sic unus, ubiq; est nullo modo divisus; ille quoq; secundum carnem integrè impartibiliter ac indivisus est in Eucharistia: Atqui Christus secundum carnem suam impartibiliter atque integrè in omnibus, & sic unus, ubiq; est nullo modo divisus: Ergo Christus secundum carnem impartibiliter atque integrè indivisus est in Eucharistia. Licet igitur Bellarmino concedamus, alium esse modum præsentiae, quâ caro præsens est in Eucharistia; minimè tamen concedendum est, quod hæc excludat illam generalem: quippe quæ potius illam præsupponit & includit: ut ab illa ad hanc vera fiat illatio. Et quia Patres ita argumentantur, manifestum est, ipsos in Eucharistia omnipræsentiam supponere: & ab hac ad illam concludere: Christum tota sua carne in Eucharistia esse; cùm tota ac indivisa sua carne sit ubiq;

XXVIII. Quod autem Bellarminus concludit omnipræsentiam requirere immensitatem, id concedere possumus de modo, quo Deus sive divina natura omnipræsens est: non autem modo illo, quo humana natura omnipræsens dicitur: nempe quatenus Deus sive divina natura per illam ubique operatur. Hic enim sufficit 1. Illocalitas personæ, in quâ recepta est humana natura 2. Omnipotentia communicata & 3. inde fluens omnipotens operatio. Non ergo humanitas est omnipræiens, quia immensa; Sed quia in illocali persona subsistit, omnipotentiam communicatam habet, ac per illam omnia in omnibus operatur, regit & conservat.

XXIX. Tertio profertur Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 47. in illud: *Si quid supererogaveris, Luc. 10. Quando, inquit, reverteris, Domine, nisi in die iudicij: nam licet undiq; sis semper & stans in medio nostrum, non cerneris à nobis, erit tamen tempus, quo universalis caro aspiciat te revertentem.*

XXX. Respondet Bellarminus, eundem Christum reversum informa humana, quies ubiq; in forma Dei, & eundem videri & non videri ratione duarum naturarum, sive formarum.

XXXI. Hæc non responsio sed opinionis Jesuiticæ suppositio est. Quandoquidem plana & manifesta sunt verba Ambrosii, loquentis de Christo, quod secundum illam formam sit ubique invisibiliter, secundum quam videbitur ab omnibus in die judicii: illa autem forma humana est. Quod indicat evidenter Ambrosius, quando non tantum dicit, quod sic ubique semper, sed etiam quod ster in medio nostrum, & non cernatur a nobis: is autem, qui stat, videndus aliquando sit ab universa carne: Ergo juxta illam naturam stat invisibiliter, juxta quam aliquando se exhibebit visibiliter: quæ non divina sed humana natura est.

XXXII. Quarto Hieronymus in libro contra Vigilantium dicit, agnum Dei, id est, Christum esse ubiq;. Item in Epistola 148. ad Marcellam, proponenti Marcellæ quæstionem de Christo, an post resurrectionem illis X.L. diebus alicubi tantum fuerit, id est, in terra, an vero latenter aliquoties ascenderit in cœlum & descenderit de cœlo, respondet, non fuisse opus Dei filio ascendere & descendere cum semper ubiq; sit. Qua responsione (addit Brentius) aut Hieronymus docuit, Christi corpus semper esse ubiq;, aut certè insignis impostor fuit. Nam de corpore interrogatus fuerat, non de divinitate.

XXXIII. Ad primum locum responder Bellarminus ibidem haberι solutionem. Proinde miram esse Brentii impudenteriam, qui ejusmodi loca propterea solum proponit, ut fallat incautos. Hæc enim sunt verba Sancti Hieronymi: Si agnus, inquit, ubiq; est, & sancti ubique esse credendi sunt. Hæc ille. At certum est Sanctos non esse ubiq; simul, sed successivè, id est, posse migrare ad quæ loca voluerint. Cur ergo non eodem modo intelligamus agnum esse ubiq;, hoc est, posse continuò adesse, ubicung; voluerit.

XXXIV. Nulla necessitas nos cogit, ut ita intelligamus Hieronymi verba: Quandoquidem in Epistola illa (quæ extat

tom. 2.



tom. 2. mihi pag. 121. & seq.) contra Vigilantium disputans demonstrare conatur, sanctos demortuos certo alicui loco non includendos esse. Quare sic adversarium alloquitur: *Tu Deus leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem Iudicij teneantur custodiâ, nec sint cum Deo suo, de quibus scriptum est: sequuntur agnum quocunque vadit. Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Scopus ergo Hieronymi est, quod velit contra adversarium suum probare Sanctos ubique adorandos esse, quia sint ubique propterea, quia sint cum agno, qui ubique est: nullo igitur modo contra scopum Hieronymi hæc verba à Brentio sunt allegata.

XXXV. Ad secundum dicit Bellarm. *Hieronymum, cum ait, Filium Dei esse ubique, loqui de sola Deitate.*

XXXVI. Non quidem possumus inficiari, agi eo loci (qui extat tom. 3. sive ultimo Epistolarum mihi pag. 138.) potissimum de divina natura: Interim non ita, ut statuatur, (quemadmodum sibi Bellarminus imaginatur) illa in infinitis locis, & ubi, extra humanitatem: sed id tantum urgetur, quod, licet divina natura tota sit in humanitate; non tamen ad finitatem sit propterea redacta, ut cogatur modo alicujus finiti corporis vel substantiæ de loco in locum migrare. Quia igitur non extra humanam naturam ponat Hieronymus divinam naturam, sed de Dei sermone, & quidem incarnato, dicat, eum non locis posse secari, sed cum ubique sit, totum ubique esse. Et in subsequentibus statim addat: *Erat igitur uno eodemq; tempore & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum Angelis & in Patre, & in extremis maris finibus erat, in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India; cum Petro Romæ; cum Paulo in Illyrico: cum Tito in Creta: cum Andrea in Achaja: cum singulis Apostolis & Apostolicis vi- ris, in singulis cunctisq; regionibus &c.* Quia, inquam, Hieronymus de λόγῳ incarnato ita differat, quæsitus non de divina natura (utpote de qua nullum erat dubium) sed de Christo, ut homine, isto loco Brentius contra Calvinianos uti voluit.

XXXVII. Quintò dicit Bellarminus proferri Augustinum serm. 14. de verbis Apostol. *Sedet, inquit, in cœlo, qui ambulet*

bulat in terris, in cœlo erat, quia ubiq^z Christus,
idemq^z Christus & Filius hominis & filius Dei:
Respondet Bellarminus: *Hac omnia de Persona dicuntur, non de
natura humana.* Unde paulò post loquens de Christo, in terris de-
gente ante passionem ait: *Propter unitatem personæ in
terra Filius Dei, propter eandem unitatem in cœ-
lis Filius hominis:* *Vides non dictum esse in cœlo humanita-
tem, in terra divinitatem: sed in cœlo Filium hominis, id est, perso-
nam; in terra Filium Dei, id est, eandem personam:* quia ubique est
illa persona.

XXXVIII. Respondemus, quod loquatur Augustinus
de una eademq^z persona, id extra controversiam esse, nempe de
λόγῳ, sed incarnato. Quandoquidem de Christo agit, hoc est,
de illo, qui unctus est à Spiritu sancto sine mensura, Job.3.v.34.

XXXIX. De hoc ergo Christo, & non de nudo λόγῳ, dicit,
quod sit ubiq^z, & ut Filius hominis, & ut Filius Dei est. Si ergo
tantum voluisse Augustinus ad divinam naturam restringere illa-
m omnipræsentiam: 1. non dicere potuisset, Christum esse ubiq^z.
Quandoquidem Christus, ut talis, nullibi est sine carne sive hu-
manitate: quippe cuius solius respectu Christus, sive unctus est
& dicitur: 2. neque affirmare potuisset, Christum, qui idem est
Filius hominis & Filius Dei, ubique esse; sed ita disponere ver-
ba debuisset: Christum, qui idem Filius Dei est, vel quatenus
Filius Dei est, esse ubique. Atqui verò sic non loquitur Augu-
stinus: sed Filium hominis & Filium Dei conjungit, ut ostendat,
se illud ubiq^z esse non duntaxat tribuere Christo quatenus
Filius Dei, sed etiam quatenus Filius hominis est.

XL. Sequentia verba Augustini, à Bellarmino allegata,
præcedentibus non contradicunt. Non quidem dicit Augu-
stinus, in cœlis esse humanitatem, in terra divinitatem. Verum,
neque dicit; in cœlis esse personam, & in terra esse eandem
personam: sed propter unitatem personæ esse Filium Dei in
terra; & Filium hominis in cœlo. Jam queritur. An rectè
conclu-

concludatur: Augustinus dicit Filium Dei esse in terra: Ergo affirmat Filii Dei divinitatem esse in terrâ. Haud dubiè affirmabit Jesuita. Quæritur cur non eodem modo concludere liceat: Augustinus dicit Filium hominis esse in cœlis: Ergo affirmat Filii DEI humanitatem esse in cœlis? Sanè ratio diversitatis ac negationis ex verbis Augustini dari nequit. Sed omnino si prius ex Augustini verbis est concludendum. Ergo & posterius. Inquis: Ratio inde peti potest: quia humana Christi natura est finita, divina est infinita. Hoc etiam scivit Augustinus, & nihilominus illam permutationem instituit: eaque docet, quod non obstante finitate humanitatis, propter unionem hypostaticam, ubi est Filius Dei, ibi sit in suâ humanitate, cumque non tantum fuerit in diebus carnis in terris, sed etiam in cœlis; fuerit etiam ibi in sua humanitate, & nequaquam extra eam; atque sic respectu personæ fuerit in cœlis.

XLI. Pergit Bellarminus, proferunt GELASIU*m* lib. de duabus naturis. Quod, inquit, dictu audituq; fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam Deitas perseverat; vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas non etiam humanitas unita permaneat. Respondeo: illud ILLIC non significare locū, sed Christum seu mysteriū incarnationis, Vult enim dicere, si in Christo sit sola divinitas, aut sola humanitas, jam Christus non erit Deus, & homo: Et patet ex verbis sequentibus: Videbitur, inquit, quod abhorret animus dicere, sed cogit necessitas non tacere, divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa conversa, vel sic est in Deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietas ejus esse desierit.

XLII. Respondemus, haud dubiè id Brentium non negare: interim manet, quod ipse ex hoc Gelasii loco probare voluit: nempe divinam naturam nullibi subsistere extra suam assumptam humanitatem. Nam quemadmodum totalis unio tollitur, si statuatur divinitas in carnem conversa, vel conditio humanitatis in Deitatem transfusa: sic affirmato hoc, divinam naturam & subsistentiam totam esse & subsistere in infinitis ubi extra humanam naturam, & tantum in illo ubi, in quo est hu-

C,

mani-

manitas, in illa & cum illa personaliter unitam subsistere; Se-
quitur divinam naturam non simpliciter, sed tantum secundū
quid unitam cum humanā naturā subsistere, nempe tantum in
ubi humanitatis: in cæteris autem ubi & locis infinitis extra
humanitatem subsistere $\alpha\omega\lambda\omega\zeta$, & sic extra unionem, in se ipsa
& non in humanitate: Quia ergo juxta Gelasium dictu auditu-
que fugiendum est, quod Deus homo esse desistat, si sola illuc
divinitas, non etiam humanitas unita permaneat, nempe per
transfusionem humanitatis in Deitatem: sic quoque eadem
vi consequiæ infertur, quod si alicubi divina natura subsi-
stat extra suam humanitatem tota, & totâ suâ subsistentiâ, quod
ibi non humanitas unita permaneat $\lambda\omega\gamma\omega$.

XLIII. Allegato ergò hoc Gelasii loco, haud dubiè sic
argumentari voluit Brentius: si Gelasio absurdum est statuere,
quod post unionem hypostaticam sola divinitas, non etiam
humanitas unita permaneat; utique absurdum etiam ipsi erit,
si quis statuat in infinitis ubi sive locis solam divinitatem, non
etiam humanitatem unitam permanere.

XLIV. Cæterùm Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 4. al-
legat aliquot dicta Patrum, utpote Ambrosii, utriusq; Cyrilli,
Chrysostomi, Ruffini, Augustini, Theodoreti, Leonis, Vigilii
& Fulgentii, quibus doctrinam nostram de omnipræsentia re-
fellere conatur. Verùm ad illa dudum respondit Chemnitius lib.
de duabus naturis cap. 30. m. pag. 249. & seqq. Et adducit Bellar-
minus triplicem Chemnitii solutionem: Primo veteres loqui con-
tra Manichæos & Eutichianos, qui Christi humanitatem volebant
conversam esse in immensam & illocalem divinitatem. Secundò,
voluisse Patres dicere, Christi humanitatem non esse ubiq; secundum
naturales suas proprietates. Tertiò, Patres velle Christi humani-
tatem secundum visibilem formam non esse ubiq; diffusam, nec locali-
ter, circumscriptivè & sensibiliter esse interris.

XLV. Verùm non tantum illis tribus modis respondet
Chemnitius, sed multas insuper addit speciales solutiones ad
singula Patrum dicta directas, quas omittit Jesuita, uti etiam
non attingit generalissimam hanc & solidissimam, quâ in gene-
re ita

re ita respondet Chemnitius : *Sanè, cùm verbum Dei de Præsen-
tia Corporis Christi, testamentarià Christi institutione Filii Dei obsi-
gnatum habeamus, possem ad omnia illa Patrum dicta semel respon-
dere, idq; ipsius Augustini verbis : Nos Patrum literas, non
ut catholicas habere, sed ex Canonicis considera-
re, & quod in eis divinarum scripturarum auto-
ritati congruit, cum laude eorum recipere ; quod
autem non congruit, cum pace eorum & salvâ
honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, eâ
libertate, ad quam nos vocavit Dominus, non
accipere, sed respuerere.*

XLVI. Verùm hanc respcionem, ut dixi, non attin-
git Bellarminus, quæ nihilominus nervum totius argumenti,
ab autoritate Patrum, sumti, incidit. Illas ergò duntaxat af-
sumit, ad quas aliquid in speciem respondere posse sibi videtur.

XLVII. Contra primam igitur Chemnitii adductam
respcionem excipit Jesuita : *Quod ad primam solutionem atti-
net, verum quidem est Patres loqui contra Eutychianos : sed eos hoc
argumento refellunt, quia, cum Christi caro non sit ubiq; sicut divini-
tas, necessariò distinetæ Naturæ esse debent : qui ergò negant Patrum
fundamentum atque asserunt, carnem Christi esse ubique, aperte Pa-
tribus repugnant, ac proinde à Patribus refelluntur.*

XLVIII. Negamus Chemnitium, & nos cum illo, ne-
gare Patrum fundamentum : quippe quod est corpus, quod Fi-
lius Dei assumit, habere ac retinere in ipsâ unione ac gloria
essentialis corporis proprietates, ac ratione essentiæ suæ &
proprietate naturæ esse finitum, circumscriptum & locale,
atque has proprietates esse corporis non Deitatis : quod sanè
fundamentum per omnipræsentiam carni Christi tributam,
non subvertitur..

XLIX. Ad secundam respondet Bellarminus : *Secunda
solutio nimis est debilis : Nam Patres non disputant de proprietatibus
naturalib. carnis, sed simpliciter negant illam esse ubique. Hanc hy-
pothe-*

pothesin non probabit Jesuita, & quod de Augustino in Epistola ad Dardanum scribente allegat, ad id respondet Chemnitius:
Et Augustinus ad Dardarum in eam sententiam, inquit, Corpus Christi esse in aliquo loco cœli propter veri corporis modum: Hec de essentialibus seu Physicis humanitatis proprietatibus, quas in Christo in ipsa unione & gloriâ salvas manere & nos dicimus, vera sunt: sed Christum carne suâ uti etiam ultra & supra essentiales seu Physicas proprietates ipsius cap. 25. ostendimus.

L. Ad tertiam respondet Bellarminus: *Tertia quoque solutione non est solida, tum quia nemo poterat dubitare, an Christi caro visibiliter ubique esset diffusa, tum quia etiam Patres non opponunt carnem visibilem carni invisibili, sed carnem Deitati, & dicunt Christum secundum Deitatem ubique esse, secundum carnem non ubique.*

LI. Licet quæstio non fuerit principaliter, an Christi corpus secundum visibilem formam sit ubique: interim tamen urgebant hoc negantes omnipræsentiam carnis Christi: quod si illa esset omnipræsens, tum per expansionem & sic visibilem formam esset ubique: Quod sanè negandum fuit. Carnem, quoque opponunt Deitati, quatenus hæc & illa secundum suam naturam virtutesque naturales consideratur, & sic carnem tantum in uno loco & Deitatem ubique esse, verè asserunt, & nos non negamus. Hactenus de omnipræsentia humanitati Christi communicata.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Rebro

VDT7






FarbKarte #13

B.I.G.

| | |
|---------|--|
| Blue | |
| Cyan | |
| Green | |
| Yellow | |
| Red | |
| Magenta | |
| White | |
| 3/Color | |
| Black | |



11
IO UNDECIMA
am Confessionem
continens

ARTICULI III.

De

MUNICA-
NIPRÆSENTIAE.

roposita

ademiâ wittebergensi,

E S I D E

ARTINI, SS. Th.

, Facult. Theol. Seniore,

Præposito , ac p. t.

niæ Rectore,


ONDENTE

O R T S C H E K

oviâ-Lufato.

Editorio Collegii veteris

n 14. Decembr.



E B E R G A E ,

S O M O N I S A V E R E B A C H ,

I D C XXVIII.